



**Index Librorvm Prohibitorvm Et Expvrgandorvm
Novissimus**

Sotomayor, Antonio

Madriti, 1667

Nos D. F. Antonivs De Sotomaioꝛ, Dei gratia & Sanctæ Sedis Apostolicæ,
Archiepiscopus Damasci, Generalis Inquisitor in omnibus Regnis &
Dominiis Regiæ Majestatis , Ejus Confessor & D. D. Infantium, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81432)

NOS D. F. ANTONIVS DE SOTOMAIOR, DEI
 gratia & Sanctæ Sedis Apostolicæ, Archiepiscopus Damasci, Genera-
 lis Inquisitor in omnibus Regnis & Dominiis Regiæ Majestatis, Ejus Con-
 fessor & D. D. Infantium, in Consilio Status & Militiæ Consiliarius, Sanctæ
 Cruciatæ Commissarius Generalis, aliarumque Gratiarum, Abbas Alcalæ
 Regalis, &c. Omnibus cujuscumque Status, conditionis, & qualitatis, vici-
 nis, inquilinis, habitantibus, aut commorantibus in dictis Regnis ac Do-
 miniis; Salutem in Domino Nostro Iesu Christo.



VM jugis Hæreticorum malitia Ecclesiæ pulchritudinem corrumpere jam inde à
 prima ejus origine indefinenter conata sit, id tamen haudquaquam consecuti
 sunt, nec poterunt consequi quamvis instructi omni Infernorum veneno. Eorum
 pravitas hanc viam maximè insistere eos impulit, ut suos errores libris illis
 inspergerent quos Christi Sponsi providentia ei subministravit tanquam maxi-
 mum lucis thesaurum ut institueretur in veritate; Nempe ut fidem hauriret ex

Scripturis divinis, locorum difficilium genuinum sensum à sacris Interpretibus peteret, certissimam
 divinæ legis praxim, bonos mores & vitam perfectam à sanctis Doctoribus, eruditionem vero sæ-
 culis addiceret in libris qui sunt merè humani, prudentiam politicam in historicis, sicq. quodvis
 genus armorum in promptu haberet contra quoscumque hostes. Hic laborarunt Hæretici maxima
 audacia & conatu: quod malum quo serius agnoscitur eo perniciosius est. Ediderunt typis libros in-
 tegros falsorum dogmatum, insignitos nomine Auctorum Catholicorum qui essent indubie in Ec-
 clesiæ fidei; ex operibus sanctorum Doctorum eraserunt quod incurrit in eorum peruersas senten-
 tias; operibus Scriptorum Catholicorum magnos errores immiscuerunt, qui cum multum habeant
 veneni mentes rudium transuersas rapiunt, sapientiam peritiorum, sine ob propensionem insitam ad
 pejora, siue ob colorem quem conciliat falsis verorum commixtio. Illius exemplum luculentum ex-
 hibent Questiones S. Athanasij ad Antiochum, Philonis Iudæi in Genesim, Iustini Martyris ad Gen-
 tes, Paraphrases & commentaria Origenis in Iobum, Arnobius Rhetor in Psalmos, Eusebij Nyssæ-
 ni homilia in Evangelia, S. Ambrosij explanationes in Apocalypsim, S. Hieronymi tres libri in Pro-
 verbia, & Lamentationes Ieremiæ, Octo libri Eucherij in Genesim, historia Regum; innumerique
 alij quos sub nomine Antiquorum Patrum protulerunt; qui tamen neque doctrinâ neque stylo, ne-
 que scriptiōis tempore quicquam habent consentiens cum Authoribus quibus falso tribuuntur. Li-
 brum pestilentissimum Oecolampadij adversus sanctissimum Altaris Sacramentum ediderunt Ber-
 trami Presbyteri nomine, dicatum Carolo Magno: Carolostadij operi contra adorationem Imaginum
 titulum prefixerunt, Caroli Magni de Cultu Imaginum ad sextam Synodum in Oriente
 congregatam. Caluini Commentaria in libros quinque de Trinitate Alcuino Præceptorum Caroli
 Magni affixerunt: Henrici Bullingeri Scriptum adversus Ecclesiam visibilem transmutarunt in
 S. Athanasij opus de vera & pura Ecclesiæ: Bucerij Libellum adversus merita bonorum ope-
 rum supposuerunt Joanni Episcopo Rossensi, quasi scribenti de Misericordia Dei. Conciones Ita-
 licas Bernardini Ochini Apostatæ Hæretici, inscripserunt Conciones Thomæ Ordinis Prædi-
 catorum Episcopi Iustinopolitani. Oecolampadius, Lutherus, Erasmus, ceteris hic audaciâ suâ
 palmam præripiunt. Ille quidem S. Ambrosio abstulit libros de Sacramentis, ut opus tali sacro in-
 dignum; quia scilicet ejus hæresim destructum ibat. Alter opera S. Dionysij Areopagitæ planè re-
 jecit. Hic magnam partem Scriptorum S. Cypriano, S. Hieronymo quasi dimidiam, S. Augustino
 plusquam sexaginta libros detraxit, ausu blasphemico atque temerario notam damnationis illis in-
 iunxit. Combusserunt innumeros libros Catholicos & Pios, censuramque exercuerunt non modo in
 Theologicis, sed etiam in Ius Canonicum. Hic sigillatim referre piget quoties erroribus suis Scripta
 Patrum inferferint, quia infinita esset opera, idque tam exquisitâ malitiâ præstitum est, ut fermè
 nisi totus liber prohibeatur, quod est bonæ frugis à pravo discriminari non possit. Huc pertinent Sa-
 crorum Doctorum Translationes, Editiones tot in locis mendosæ, corruptæ, falsæ, & violenter detor-
 tæ; quod magis mireris, imò quod certius affert damnationis periculum, eò deueniunt delibera-
 te malitiæ & superbiæ, ut neque pepercerint sacris Scriptoribus utriusque Testamenti. Principium
 huic Impietati factum à Translationibus divinæ Scripturæ, quam clamitarunt infelicitè reddi-
 tam, corruptam plurimis in locis, truncatam, auctam, malè habitam in omnibus; adeoque intelli-

Index Libr. Prohib. & Expurg.

6

gendis

INDICES
 Librorum
 PROHIBITORUM
 E. V.
 74.

gendis sacris Libris Versionibus nouis maximopere opus fuisse: Illas itaque ediderunt cepto blasphemio & sacrilegio, Pellicanus, Zuinglius, Lutherus, Munsterus, Erasmus, Castalio, alique. Graeca Biblia & Hebraea in varias transfuderunt linguas pro cerebri sui dictamine, uti impellebat eos dogmatum suorum confirmatio. Addiderunt Scholia, Glossas, Argumenta pestilentissima: numerum librorum utriusque Testamenti minuerunt: Lutherus, & Zuinglius reiecerunt Librum Sapientie, Ecclesiastici, Tobiae, Estherae, Iudithae, Baruchi, Maccabaeorum, quos tanquam Apocryphos traduxerunt atque Authoritatis incerte. In nouo Fodere non admittunt Epistolam ad Hebraeos, Iacobi, Iudae, Petri posteriorem, Ioannis secundam & tertiam. Calvinus è S. Ioannis Euangelio historiam Mulieris adultera expungit: Musculus ultimum ex S. Marco Caput: Erasmus totam Apocalypsim excludit, ab Euangelista scriptam negans: è prima Ioannis Epistola auferre tentauit celebre Testimonium de Unitate S. Trinitatis. Iactant Anabaptistae Corpus Sacrae Scripturae corruptum esse, praesertim in Euangelis & Epistolis: quandoque augent numerum Librorum diuinorum; ut apparuit in iis quos protulerunt in lucem, quales sunt Proto-Euangelium Iacobi, Euangelium Nazaraeorum, Euangelium Nicodemi, Epistola Pauli ad Laodicensis, alique publicati cum Scholiis eorumdem Haereticorum, planè diuersi ab Editione Vulgata.

Tanto errorum turbini tam periculose ingruenti obstiterunt jam olim magnà curâ, verè Religionis cultusque Christiani, quem habet Ecclesia fidei custodes, Summi Pontifices, Concilia, Imperatores, Hispaniarum Reges, & qui ipsi à Consiliis erant. Inter ceteros singulari studio, imò maiori vigilantia, Inquisitores Generales & supremum sanctae & Generalis Inquisitionis Tribunal, cui scilicet incumbit in istis Regnis conseruatio Ecclesiae, quodque nunquam laborare desinit ut suam illa tueatur perfectionem.

Nos igitur animaduertentes aliquam ex parte nostra cessationem non fore immunem à periculo augendi profectus Haereticorum continuâ sollicitudine eò incumbendum, exempla ad eò illustra sequenti, certum habuimus incommodis obuiam ire quae nascitura erant à compositione, usu, & lectione horum librorum: utque illud fieret rectius, & maxime necessaria remedia compararentur tam granibus malis quae ex lectione & usu dictorum Librorum, qui ab Authoribus editi sunt haereticis aut suspectis, oriri possunt aduersus fidei Catholicae puritatem; re sapius discussa & communicata cum Consilio sanctae Generalis Inquisitionis, necessarium iudicauimus, & mandauimus nonum apparari Indicem & Catalogum Librorum Prohibitorum & Expurgatorum; in quo non solum noui complures quotidie lucem aspicientes, & numquam antehac notati, recenscantur, prohibeantur, & expurgentur; sed & alij ex antiquis recognoscantur, additis nouis observationibus atque cautelis: sin verò nonnulli Prohibitorum, ut qui sint ab Authoribus damnati, videantur aliquibus esse utilitatis, tum illi prius expurgati permittantur. Quod opus cum confectum fuerit, ordine digestum, dictusque Index maximâ curâ excusus, singularique perspicuitate & distinctione ad faciliorem intellectum atque usum, quod permagni studij atque laboris fuit; Nos Authoritate & Potestate Apostolica utentes, quam ut Inquisitor Generalis in dictis Regnis & Dominis suae Majestatis habemus, concessam nobis & Inquisitoribus Generalibus Majoribus nostris: iidem facultate quae nobis datur & data fuit per Breuia, quae circa prohibitionem & emendationem Librorum & Scriptorum male doctrinae, à sancta Sede Apostolica emanarunt; hortamur & precipimus in virtute sanctae obedientiae & sub penâ Excommunicationis majoris latae sententiae trinâ canonicâ monitione praemissa, omnibus dictis personis quomodocunque ornatis dignitate Ecclesiastica aut seculari, aut quibuscumque aliis, ut in posterum nemo audeat habere aut legere Librum aut Libros in hoc Indice & Catalogo prohibitos, aut in ejus Regulis Generalibus comprehensos, aut alium ullum prauae aut damnatae doctrinae, aut in hac Regna aut Dominia illos apportare, atque in illis distrabere: utque illi qui nunc temporis ejusmodi Libros penes se habent, intra diem nonagesimum notum id faciant & consignent eos sancto Officio, ut iis quod expedit fiat; non imminutâ tamen per haec eos legendi prohibitionem, quae etiam posthac in suo vigore constet & permanet. Monemusque nos mandatuos ut aduersus refractarios, praeter censuras in quas incurrunt, summo procedatur rigore, nosque ipsos ita processuros ut aduersus rebelles & nostris mandatis ac sanctae Matris Ecclesiae censuris immorigeros & suspectos in sanctae fidei nostrae Catholicae causa. Declaramus insuper illos qui habuerint, aut legerint libros qui prohibentur aut expurgantur, aut emendantur ut continentes haeresim aut ea de causa suspectos, ipso facto incurrere in censuras supra expressas. Itaque qui habebunt aut legent Libros prohibitos, aut expurgatos alias ob causas, praeter peccatum mortale quod certò committunt ob inobedientiam, incurrant in penam de Excommunicatione ferenda. Virosque autem multamus iacturâ Librorum, & sexcentorum ducatorum, quorum triens ad sanctum Officium, Indices & Denunciatores pertinebit; aliisque damnamus penam, ad arbitrium nostrum, Consilij & Tribunalium S. & Generalis Inquisitionis, cum Examine rei &

gravitatis culpe. Tubemus pariter sub pœnâ Excommunicationis Majoris omnibus qui alios
 noverint dictos Libros ultra terminum supra positum retinentes, neque exhibentes expurgandos
 uti dictum est: ut intra sex dies postquam illud cognoverint (quosdamus & assignamus eis loco
 trine canonice Monitionis, interualli & termini peremptorii) illud denunciarent & notum fa-
 ciant Inquisitoribus, aut eorum Commissariis, in suis quisque locis & Districtibus. Admone-
 mus similiter & mandamus, in virtute sanctæ obedientiæ, omnibus Confessoribus Secularibus
 & Regularibus, iis maximè qui curam gerunt animarum; ut cum alij confessionis causâ eos adi-
 bunt, præsertim in Quadragesimâ, satisfacturi præcepto Ecclesiæ, percontentur & sollicitè querant
 ab iis, numquid Librum aut Libros habeant ex prohibitis, & expurgationi destinati per hunc
 Indicem: si qui autem illos habeant, videanturque incurrisse in censuras hujus nostri Edicti,
 consulant, moneantque ut ab illis se expediant, implendo quod hic precipitur: notificantes illis
 absolutionem dictarum Censurarum quas incurrerunt (dum implere negligunt quod iis in hac
 causâ imponitur) referuari Inquisitoribus generalibus horum Regnorum per Brevia specialia,
 quorum prius Sanctitatis Pauli Quinti, datum est 27 Jan. 1612. alterum S. D. N. Urbani Octavi,
 datum 17 August. 1627. Atque ut hæc omnia in publicum nota sint, & nemo prætexat ignoran-
 tiam, mandamus omnibus Inquisitoribus Apostolicis dictorum Regnorum & Dominiorum sue
 Majestatis, ut statim publicari curent in Ecclesiis Cathedralibus aliisque partibus, huius nostre
 Constitutionis Edicta, & publicis in locis affigi curent. Et sub iisdem pœnis mandamus & prohi-
 bemus ne quis audeat dictum Indicem & Catalogum Typis mandare & excusum extra hæc Regna
 adhibere, aut ejusmodi Editionibus extraneis dicti Catalogi uti sine nostrâ expressâ veniâ. Volu-
 mus etiam ut ne possint alio Indice uti ex antehac editis, nisi accuratissime illis adscribant prohibi-
 tiones, expurgationes, & permissiones ad normam huius nostri. In cuius rei testimonium manda-
 mus dari & damus presentes litteras nostro nomine subscriptas, obsignatas nostro sigillo, & contra-
 signatas à sue Majestatis & Consilij S. & generalis Inquisitionis Secretario infra scripto.
 Madridi 30 Iunii 1640.

Fr. Antonius Archiepiscopus
 Inquisitor Generalis.

Licent. Sebastian de Huerta
 Secretarius Regis D. N. &
 Consilij.

c 2. D. Fr.

INDICES
 Librorum
 PROHIBITORUM
 E. V.
 24.



Fr. Antonius de Sotomaior gratia Dei, & S. Sedis Apostolicæ Archiepiscopus Damasci. Inquisitor Generalis in omnibus Regnis & Dominis sua Majestatis, ejusque Status Consiliarius, &c. Considerantes quid opera & auxilij contulerit in causâ Librorum, & in hujus Catalogi sive Indicis Expeditione, Licentius Sebastianus de Huerta Secretarius sua Majestatis & Consilij Sanctæ Generalis Inquisitionis: illi facultatem facimus curanda Editionis dicti Indicis per eum, vel eos quibus ad illud opus placuerit uti. Præter pœnas quæ in nostro Edicto dato 30 Iulij M. DC. XL. appositæ sunt, ut nemo audeat excudere vel excudendum curare dictum Indicem & Catalogum, aut extra hæc Regna excusum inferre, aut uti ejusmodi Editionibus extraneis; Mandamus sub pœnâ excommunicationis majoris latæ sententiæ trinâ canonicâ admonitione præmissâ; item ducentorum Ducatorum; ut nemo ejuscumque Status aut conditionis, traçet, aut importet in ullam Indiarum partem, aut aliò quovis, ullum Catalogi hujus vel Indicis exemplar, aut vendat in his illisve Regnis, quod non sit subscriptione dicti Secretarij Sebastiani de Huerta munitum. Illis autem censuris & pœnis subjacent qui rei non ignari alicui S. Officij Commissario notum facere negligent. In cujus rei fidem, jubemus dari, & damus præsentis Literas nostro nomine subscriptas, obsignatas nostro sigillo signatas etiam ab infrascripto nostro Camerali Secretario. Datum Madriti, 4. Iulij M. DC. XL.

Fr. Antonius Archiepiscopus
Inquisitor Generalis.

*Ex mandato S. Dom. Illustrissima
Ioannes de Olazabal.*

T A X A



IN VRBE MADRITENSI, DIE 26 IVNII, Anni M, DC, XL, Illustrissimus Dominus D. Antonius de Sotomaior Inquisitor Generalis, vnumquodque folium excusum Catalogi sive Indicis Expurgatorij, sex Maravedis æstimavit, Hancque Taxam in eo apponi iussit.

*Licent. Sebastianus de Huerta
Secretar. Regis D. N. &
Consilij.*

REGVLÆ